





ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T.

DECANVS

GEORGIVS STEPHANVS

WIESAND D.

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGIJ IVRECONSVLTORVM
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

SALVTEM PLVRIMAM DICIT

Inest
de regula iuris:
Concursum creditorum obaerati debitoris vice fungi &
in eius iura & obligationes transire.

ORDINIS IURIDICI

ACADEMIAE VITAE

DECANVS

GEORGIVS STEPHANVS

WISSAND B.

PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS

ET IURIS PRAELECTOR

COLLEGIJ IURISCONSULTORVM

ASSESSOR

THEODORVS BERNHARDVS

SALVTIS PVRAM DIGITVS

Handwritten text at the bottom of the page, including a date and possibly a signature or reference.





Quo maior hodie exstat hominum obaeratorum copia, eo quoque plures inde nascuntur in foris nostris controuersiae, saepe valde odiosae. Dum enim creditor pecuniam anxio studio collectam bonaque fiducia creditam, inter spem metumque ancipites, a morosis debitoribus repetunt, non solum tributa iisdem beneficia copiose commemorant, verum etiam tristes querelas de iniuria sibi facta afferunt. E contrario debitores varia enarrant fortunae aduersae incommoda, vt vitiorum exprobratorum odium declinent, aliosque ad commiserationem adducant. Qua quidem in re diligenter cauendum est, ne quis vnum idemque iudicium de omni debitorum genere statuat. Multos enim, licet rem familiarem bene administrauerint, variis tamen calamitatibus afflictos, ad egestatem perductos fuisse, saepe intelleximus, quorum flebilem sortem optimus quisque deplorat. Probatum mihi Alexandri Seueri humanitas, qui, teste Lampridio, in eius *vita cap. 40.* pauperes honoratos, modo non luxuria inopiam contraxissent, variis ornauit beneficiis. Nec minus collaudandus est Hadrianus, qui, vt Spartianus in eius *vita cap. 7.* refert, in senatores, qui patrimonium non vitio decoxerant, admodum fuit liberalis. Sed aliud omnino statuendum erit de iis, qui priscae frugalitatis immemores, atque rerum suarum parum curiosi, bona resque suas dilapidant. Hos enim odio iusto nostra iura perseguuntur eorumque in defraudandis aliis turpiter exercitam malitiam poenis vindicant acrioribus. Licet vero varia extent debitorum genera, ea tamen discrimina, si a paucis discesseris, in concursu creditorum rite facta, haud attenduntur. Obinet scilicet regula,



la, quotidiano fori vsu satis frequentata, ipsum concursum creditorum, in iudicio communi res iuraque sua persequentium, obaerari debitoris vice fungi, inque eius iura ac obligationes in vniuersum transire. Quam quidem nunc, quia vtendum est occasione commoda, breuiter explicare studebo.

Ac facile quis posset nostrae regulae originem ab antiquissimis reperere temporibus. Namque iam in legibus XII, vt ex tabula *de rebus creditis* cognoscitur, erat perscriptum, vt creditoribus liceret eos, qui debita erant confessi, vel eorum conuicti atque condemnati, conuicere in vincula, eos quoque vincire neruo, vel compedibus, atque debiti nondum persoluti gratia, in quadam seruitute detinere. Vnde haud inepte inferendum, debitorem, dum se suaque omnia creditoris permisit arbitrio, inque ipsam incidit seruitutem, nihil amplius iuris, ex quo aliquid commodum percipere potuit creditor, retinuisse, idque omne ad eundem peruenisse. Postea quidem priscus rigor mitigatus est, forsque melior obrigit debitoribus, cum, auctore *Liuiio Libr. VIII cap. 28* lege Poetelia caueretur: *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur. Pecuniae creditae, bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* Sed ex his non sequitur, vt antiquis saeculis ista regula iam inualuerit. Iure decemuirali data quidem fuit creditoribus potestas debita sua more legitimo persequendi, nec est dubium, quin cum ipsa debitoris persona vniuersum eiusdem patrimonium fuerit creditori addictum, donec aes alienum prorsus fuisset expunctum. Creditores vero in ipsas debitorum obligationes transiisse, nusquam proditur. Lex Poetelia duro quidem nexu, quo antea obaerati homines crudeliter saepe constringebantur, eosdem soluit, sed ideo ipsis creditoribus onus praestandi debitorum obligationes non imposuit. Sed nunc occurrendum est sententiae eorum, qui clarissima vestigia laudatae regulae



gulae in antiqua successione, quae olim ipsa emtione bonorum debitoris egeni contigit, sibi reperisse visi sunt. Quae cum optime omnium a Theophilo ad *Tit. I. de successiōib. sublat. quae fiebant per bonor. vendit.* descripta sit, eius luculento testimonio hic vi erit iucundum. Is vero refert, creditores, si debitor latitasset, auctoritate praetoris in possessionem bonorum fuisse missos, eaque per certum temporis spatium possedisse. Quod si id tempus fuisset elapsum, rursus praetorem adierunt eumque rogauerunt, ut sibi liceret vnum ex numero suo constituere, qui debitoris patrimonium diuenderet. Praetor eorum precibus motus, bonis distrahendis magistrum constituit, qui ea publice et prescriberet, et distraheret. Qui igitur ea emerat, in vniuersa iura ipsius debitoris succedebat ita quidem, ut omnia eiusdem commoda nancisceretur, nec minus obligationes ab eo contractas recipere cogeretur. De quo more interpretandus est locus *Caii I. Libr. 2, Tit. 2.* sic conceptus: *per vniuersitatem, hoc est, omnia bona simul adquirimus hereditate, emtione, adoptione.* Fuerunt quidem, qui haec verba de emtione vxorum, vel hereditatis, olim vtitata acciperent, sed eorum opinionem esse friuolam, praeclare in *animaduersionibus loco excitato* subiectis ostendit Anton. Schultingius. Confirmatur sane nostra sententia auctoritate *Pauli*, qui in *l. 91. D. de acquirend. vel omittend. hereditat.* haec praecipit: *si is, qui bonis paternis se abstinuit, per suppositam personam emtoris, bona patris mercatus probatur, perinde eum conueniri oportere a creditoribus, atque si bonis paternis se immiscuisset.* Licet vero non negem, successionem, cuius haecenus mentionem feci, similem quodammodo esse modo acquirendi vniuersali, qui nostra aetate in concursu creditorum viget, eandem tamen variis quoque modis discrepare a more nunc recepto, facile intelligitur. Olim enim titulo emti iura debitoris ad emtorem transferebantur. Sed nostri creditores non ex emtione, sed potius ex bonorum cessione tamquam fonte primario iura sua deriuant. Isti bonorum emtores, etsi



antea cum debitore obaerato numquam negotium aliquod contraxerant, mero tamen emtionis vinculo ita adstringebantur, ut eiusdem personam in posterum continuarent. Sed, rem hodie aliter se habere, xsus vitae communis satis docet. Huc accedit, quod Iustinianus in *proem. l. de success. sublat. quae fiebant per bonor. vendit.* istum succedendi modum prorsus sustulerit, isque in Germania nunquam vstratus fuerit. Quam ob rem sine mora ad celebre cessionis bonorum beneficium progredior. Hoc vero eo potissimum consilio introductum est, ut ii, quorum bona damnis fortuitis ita fuere diminuta, ut creditoribus haud amplius sufficerent, molestiam carceris effugerent. *L. 1. C. qui bon. cedere poss. l. Cod. Theod. qui bon. ex leg. Iul. cedere possunt.* Debitor rebus suis se abdicat easque creditoribus eo consilio permittit, ut inde iisdem pro rata satisfiat. Licet vero debitor bona creditoribus addixisset, iura tamen Romana ipsum ius domini ad eosdem transferri, negant. Ita enim Ulpianus in *l. 3. D. de cession. bonor.* scribit: *is, qui bonis cessit, ante rerum venditionem utique bonis suis non caret, quare si paratus fuerit se defendere, bona eius non veniunt.* Cum qua etiam *l. 4. C. qui bon. cedere poss.* conspirat. Hinc recte obseruat V. C. Io. Wendelin. Neuhauis in elegantissima *dissertat. ad leg. Postel. §. 15.* multum interesse inter dationem in solutum, et inter cessionem bonorum, quod illa statim transferatur dominium, non vero hac, quia bona cessa vendenda sint, quo ex pecunia inde redacta creditoribus satisfieri possit. Idem vero hodie videri hominibus pragmaticis, multorum testimoniis constat, ex quibus hic nominasse sufficit Io. Brunnemannum *de process. concurs. creditor. cap. 1. §. 9.* eiusque interpretem Samuel. Stryckium in *obseruat. adiectis.* Nec defuere Romanis iustae rationes, cur eam sententiam comprobauerint. Olim enim valde videbatur ignominiosum bona aeris alieni causa distrahere, uti ex Ciceronis *oratione pro P. Quinctio cap. 50. seq.* satisclare apparet. Quam quidem ignominiam creditores, si bona non eorum, sed ipsius

ipsius debitoris nomine distraherentur, prudenter vitarunt. Ca-
 uendum quoque erat, ne patrimonium creditoribus concessum
 pretio nimis vili aestimaretur, idque magno debitoris incommo-
 do distribueretur. Consulatur Franc. Calletius *in commentar. ad*
l. 4. C. de euictionib. in thesaur. iur. ciuil. Meermanniano Tom. II.
p. 320. seq. Nec mirum est, quod ab iis, qui ipsi domini haud
 fuerunt, dominium ad alios translatum fuerit, cum idem fae-
 pius in creditoribus, quibus pignora securitatis causa tradita
 sunt, euenerit. *L. 46. D. de acquirend. rer. domin.* Ipsa vero bo-
 norum cessio est vel voluntaria, vel necessaria, quarum pri-
 or a debitore sciente et volente peragitur, altera vero, eo-
 dem incio vel, inuito, suscipitur. Actum foret cum fide
 publica, si debitorum praestatio vnice penderet ab homi-
 num peruersorum incerto nimis arbitrio. Hinc iam prae-
 tores Romani, si debitor dolo malo latitasset, eius bona a
 creditoribus possideri vendique iusserunt. *L. 7. D. quib. ex*
causs. in possess. eatur. Prospiciendum est omnino creditoribus so-
 lutionem flagitantibus, si debitor in peregrinas terras aufugerit,
 atque, quonam in loco versetur, incertum sit, vel, si ex vita mi-
 grauerit, nec heredes reliquerit, bona vero eiusdem domino et
 possessore careant. Quin, saepe accidit, vt designati heredes pru-
 denti consilio hereditatem repudient, ne sine vilo commodo,
 magnis afficiantur incommodis. Tunc quidem, creditoribus in-
 stantibus, bona iudex custodienda curat, sequestres constituit, cre-
 ditores in possessionem mittit, patrimonium vendi, atque ex pre-
 tio inde redacto debita minui, vel tolli prorsus, recte iubet. Ita
 quidem sanxere prudentissimi principes Diocletianus et Maximia-
 nus in *l. 6. C. de bon. auctoritat. iudic. possidend.* his quidem ver-
 bis: *si — — sine successore communis debitor, vel eius heres deceffit,*
non domini rerum vindicatione, sed possessione bonorum, itemque vendi-
tione, aequali portione, pro rata debiti quantitate, omnibus creditoribus
consuli potest. Ex quibus satis manifestum est, debitorem soluendo
 impa-



imparem, dum vel ipse bona sua creditoribus concedit, vel iudex ea iisdem, ut inde solutionem consequantur, assignat, si concursus publica auctoritate iam excitatus sit, iure pristino, quod ei antea in patrimonio suo competeat, prorsus excidere eoque amplius uti et frui non posse. Licet vero ideo iure dominii et possessionis secundum iuris Romani placita haud priuetur, commoda tamen cum eo iure coniuncta non ad ipsum, sed ad eius potius creditores erunt referenda. Ea de causa in foris Germaniae passim celebratur trita quotidiano usu regula, ipsum concursum, id est, vniuersale iudicium creditorum, qui coram eodem iudice debita sua profitentur, atque de eorum cum veritate, rum qualitate ac praecedentia disceptant, debitoris communis vice fungitur, eumque heredi esse similem. Cum vero saepe animaduertimus, hanc receptam usu sententiam vel minus recte intelligi, vel imprudenter applicari, eius vim et potestatem paucis adhuc declarabo. Iam vero primo obseruandum est, heredes quidem creditoribus communiter inter se debitorum gratia certantibus, posse quoad certos iurium effectus equiparari, multis tamen modis maximopere ab iisdem differre. Heres enim succedit in iura defuncti. *L. 62. D. de R. I.* Creditores e contrario plerumque viui debitoris iura nanciscuntur. Alia est, si originem consideras, successione, alia vero ipsius concursus ratio. Hic excitatur ob debitorum onera, quibus ferendis obaerati homines sunt impares. Ideo vero hereditas nec datur, nec accipitur. Obinet in herede iurium confusio, ut ex *l. 71. D. de fideiussor. et l. 7. C. de negot. gest.* perspicue cernitur, sed ea in concursu locum haud habet, cum singuli creditores duplicem personam repraesentent, nec ideo, quoniam debitoris successores esse coeperunt, eiusdem creditores esse desinant. Quaedam iura mere personalia, et quae ipsae leges auferri vetant, cuiusmodi est ius patronatus, de quo *l. 9. D. de iur. patronat.* conferenda, debitor retinet, sed ea mortuo testatori haud amplius competunt. Aliae quoque actiones here-

heredibus ius hereditarium petentibus, aliae vero creditoribus ad debita persequenda conceduntur. Recte tamen heres cum creditorum concursu comparatur, si modum acquirendi vniuersalem vtrique communem respicis. Qui enim in alterius ius vniuersum succedit, heredis loco habetur. *L. 128. D. de R. I.* Deinde certum est, ea, quae in genere ad omnes successores, cum vniuersales, tum singulares, pertinent, transire quoque ad ipsos creditores. Exemplo est praescriptionis materia, in qua tempora diuersorum possessorum ita coniunguntur, vt antecessoris possessio cuius successoris proficit. Ita enim Scaeuola in *l. 14. D. de diuers. temporalib. praescript. de accessionibus possessionum nihil in perpetuum, neque generaliter definire possumus, consistant enim in sola aequitate. Plane tribuuntur his, qui in locum aliorum succedunt, siue ex contractu, siue voluntate. Heredibus enim, et his, qui successorum loco habentur, datur accessio testatoris.* Quodsi igitur debitor bona sua creditoribus assignauerit iisdemque profus cesserit, non dubitandum est, quin omnia quoque iura ad finem propositum commode affluendum necessaria, ad eosdem transmiserit, siue ex pacto, ac contractu, siue ex dominio, hereditate, pignore, seruitute et possessione oriuntur. Curator igitur bonorum eo consilio constitutus, vt iura creditoribus communia fideliter tueatur, et actiones ad massam adaugendam necessarias in vtilitatem creditorum procurer, recte conueniet eos, qui concursui ad quid praestandum obstricti sunt. Huc refero ipsos debitoris debitores, a quibus recte peter, vt id, quod debent, praestent. Eodem iure res depositas, vel commodatas, a depositariis et commodatariis repetet. Neque ei denegari poterunt actiones reales, vti vindicatoria, confessoria, hypothecaria atque similes. Porro obseruandum erit, obligationes quoque debitoris, quae vulgo ad heredes transeunt, ipsum quoque afficere concursum, easque, dummodo leges non obstant, ad creditores quoque transferri. De hoc quidem argumento saepe grauissimae mouentur controuersiae, cum multi interpretes iura quidem debitoris cum



creditoribus lubenter communicent, ea vero, ad quae praestanda is obligatus est, a concursu remouere cupiant. Sic vulgo quaeritur, num creditores conductori debitoris teneantur. Heredes ex locato conducto obstringi, satis notum est. §. 6. *I. de locat. et conduct.* L. 19. *D. loc. conduct.* Olim vero locationem a debitore in fraudem creditorum haud factam, a praetore fuisse seruatum eamque rescindi haud potuisse, testatur Vlpianus in l. 8. *D. de reb. auctoritat. iudic. possidend.* Licet vero conductionis expressa mentio ibi non fiat, eam tamen ipsa locationis regula esse aestimandam, ratio legis dubitare non finit. Consentit Aug. a Leyser in *meditat.* 10. et 11. *specim.* 494. Non erit inuicundum hic breuiter enarrare litem de hac re coram regimine Güstrouiensi acriter disceptatam. Dominus praedium suum ad certos annos locauerat. Is vero, locationis tempore nondum finito, bonis cesserat. Creditores rati, se ista locatione haud obstringi, conductorem expellere student. Oritur, vt sit, controuersia valde acerba. Acta ad extraneos Iureconsultos transmittuntur. Hi vero creditorum petitionem reiiciunt, tamquam iuri communi contrariam. Creditores hoc decreto sibi videbantur valde grauati, idque, remedio restitutionis in integrum interposito, fortiter impugnabant. Sed Iureconsulti Vitembergenses, mensē Augusto anni superioris priorem sententiam simpliciter confirmarunt. Aliud tamen in commune creditorum commodum, in nostris terris obtinere, atque conductionem post spatium semestre, a tempore concursus oborti computandum, exspirare, clare docet *mandatum de dolosis decedentibus* d. 20. mens. Decembr. anno 1766. euulgatum §. 5. Aliud quoque statuendum est de eo, qui bona debitoris solito more emit. Hic enim tamquam successor singularis, nec iure Romano, nec Germanico, conductori obstringitur. L. 9. *C. de locat. conduct.* Illustr. Io. Frider. Eisenhartus in *paroem. iur. Germ. p.* 352. *seq.*

Praeterea nostra regula haud vniquam applicanda est ad iura mere personalia, quae personis tam arte cohaerent, vt ab iisdem

iisdem nullo modo diuelli queant. Huc referendae sunt digni-
 tates publicae, ciuiles, militares, saeculares, ecclesiasticae atque
 academicae, quas debitor auctoritate publica consecutus est. Ita
 iam olim filius adoptiuus, licet in potestatem atque in ius agna-
 tionis patris adoptiui transiisset, dignitatem tamen senatoriam,
 qua antea fuerat praeditus, non amisit. *L. 35. D. de adoption.*
 Ipsa hoc suadet naturalis aequitas, cum dignitates publicae ob
 merita praeclara, probatam satis doctrinam aliasque virtutes
 conferantur. Licet vero interdum improbi debitores dignitati-
 bus suis priuentur, inde tamen nihil utilitatis in creditores re-
 dundat. Idem dicendum esse videtur de muneribus personali-
 bus, pacis bellique tempore a paganis et militibus ita, vti leges
 iubent, praestandis. *L. 1. D. de munerib.* Quorsum etiam tutela
 pertinet, quae iure hereditario non transfertur. *L. 16. D. de tu-
 tel.* Item usufructus, qui personae inhaeret, nec cum effectu
 extraneo cedi potest. *§. 3. I. de usufruct. L. 3. C. de usufruct.*
 Paulus in *recept. sentent. Libr. 3. Tit. 6. §. 31.* licet non negan-
 dum sit, saepius fieri, vt emolumenta cum usufructu coniu-
 cta ad alios perueniant, ipsum vero ius penes usufructuarium
 remaneat. Neque sibi arrogare poterunt creditores iura cum
 certo debitoris statu arctissime connexa, veluti patriam pote-
 statem, iura connubialia atque id genus alia. Pulcrum de his
 iudicium tulit Leyserus in *specim. 490. meditat. 4.* his quidem
 verbis: *quantumuis concursus creditorum vniuersalis sit, causasque
 omnes ad se irahat, istas tamen obligationes, quae magis personam,
 quam bona debitoris, aut illam primario, haec secundario adficiunt,
 non complectitur. Itaque nec comminatio perpetui silentii, nec poena
 praclusi sententiae inserta ad hos pertinet, qui in ipsam debitoris per-
 sonam ius habent. Exempli loco causae praeciudiciales, vt de partu
 agnoscendo, item matrimoniales sunt. Sic quoque debitor obaeratus,
 qui operas suas alicui locauit, ad has praestandas extra concursum re-
 cte conuenitur. Aliud exemplum in causis cambialibus occurrit. Sed
 nolo de iis, quae per cessionem bonorum ad creditores haud trans-
 eunt,*



eunt, afferre plura; cum hoc argumentum nuper elegantissime expofuerit vir iuris diuini humanique fcientiffimus, Iofias Ludouic. Ernft Püttmannus in fingulari *programme*, hoc ipfo anno, Lipfiae edito. Paucis dumtaxat verbis adhuc vnicam cautionem, in regula fupra iradita accurate adhibenda neceffariam, exponam. Iura fcilicet concursus in primis aestimanda funt ex fine, in quem facta eft bonorum ceflio. Hic vero maxime refpicit eo, vt creditoribus eo modo, qui publicis legibus conftitutus eft, ex patrimonio ceflo fatisfiat. Quisque vero creditor duplici ratione contemplandus eft. Primo enim propriam agit perfonam, dum id, quod fibi debetur, ex massa communi confequi ftudet. Hanc, conftante concursu, retinet, arque curatorem litis nancifcitur aduerfarium, cuius quidem primarium eft officium, debiti veritatem explorare idque non temere in odiofas dubitationes vocare. Deinde membrum eft eius corporis, quod concursum excitauit. Inde vero alia adipifcitur iura, dum tamquam debitoris fuffeffor vniuerfalis eum ipfum repraesentare videtur. Hae vero creditorum conditiones diuerfae non feiungendae, fed coniungendae funt. Nec enim vna alteram tollit. Quodfi massa tam eft ampla, vt non folum inde fatisfactio omnibus creditoribus contigerit, verum etiam aliquid amplius fuperfit, concursus erit feliciter finitus. Refiduum igitur non ad creditores, hanc enim conditionem iam amifere, fed ad debitorem, vel ad eius heredes pertinet. Reddenda quoque tunc ei erunt bona, fi quis amice pro eo intercefferit, et, quae contraxit debita, liberaliter exfoluerit, vel cum creditoribus more legitimo tranferat. Sed haec haftenus. Iam indicendi funt honores publici, quos vir egregiis dotibus eximus, Io. Paullus Ferdinandus Schroeterus, iuris vtriusque candidatus digniffimus et notarius publicus Caefareus immatriculatus, iure meritoque fibi expetiit. De vita moribusque fuis haec nofter candidatus tradit:

Ego IOANNES PAVLLVS FERDINANDVS SCHRÖTER, vitam debeo Dresdensi urbi, in qua prid. Non. Iul. ao. recuperatae falutis

1749. in lucem prodii, patrem nactus indulgentissimum, amantissimum-
 que D. IOANNEM PAVLLVM SCHRÖTER, *Waldae Dynastam, Se-*
renissimo Electori Saxoniae in Consistorio Superiori a consiliis, cuius
in signem erga me animum summamque indulgentiam, cum fando expri-
mere nequeam, pietate religiosissima deuenor, et quoad in vivis ero,
omni, qua par est, deuotione atque observantia deosculabor. Matrem
vero colo FERDINANDAM HENRIETTAM ex gente SCHMELTZIA
oriundam, piam, sanctam, et supra sexum suum laudabilem. Avus
paternae stirpis contigit mihi D. PAVLLVS CHRISTIANVS SCHRÖ-
TER, Potentissimo Poloniarum Regi et Electori Saxoniae, in Summo
Provocationum iudicio, et Consistorio Supremo a Consiliis. Aviam
vero habui EUPHROSINAM, M. AEGIDII STRAYCHII, Consisto-
rii Assessoris, et Pastoris Primarii Ecclesiae Germanicae, quae Hol-
miae in Suecia floret, filiam. Proavus fuit D. IOANNES PAVLLVS
SCHRÖTER, Potentissimo Poloniarum Regi et Electori Saxoniae a
consiliis Provocationum, Ordinis ICtorum Vitebergensium Assessor, et
eiusdem civitatis Syndicus. Proavia autem ANNA MARIA, D. MI-
CHAELIS WENDLERI, Theologiae Professoris Extraordinarii, et Mo-
ralium in Academia Vitebergensi ordinarii, filia. Excipit hunc Aba-
vus PAVLLVS SCHRÖTER, Medicinae Licentiatas, civitatis Torgavien-
sis Consul et Physicus, atque Abavia ELISABETHA, M. CHRISTIANO
MEISNERO Archidiacono Torgaviensi prognata. Atavus extitit
MAVRITIUS SCHRÖTER, Philosophiae et Medicinae Doctor, et eius-
dem Facultatis in Academia Lipsiensi Assessor, nec non Scholae Pro-
vincialis Grimmenfis Medicus. Atavia vero DOROTHEA, nata
STYMPFELDIA fuit. Tritavus sequitur, WOLFE SCHRÖTER, Lu-
rium Licentiatas, Comitum Mansfeldiorum Cancellarius, deinde in Col-
legium Aulicum, quod Halae erat, Magdeburgicum evocatus. Trita-
via huic iuncta fuit DOROTHEA, nata STEINMETZIA. Venio tand-
em ad IOANNEM SCHRÖTER, ornamentum generis nostri non prae-
tereundum, Medicinae Doctorem, et per triginta annos in Academia
Ienensi Professore, qui a Serenissimis Saxoniae Ducibus ad Ferdi-
nandum I. Romanorum Imperatorem missus, privilegia tum recens con-



ditae eius Academiae, diu expectata, ex Aula Caesarea attulit, eamque ob causam primus, qui Rector ibi crearetur, meruit, quo quidem munere novies deinceps functus est. Ab Imperatore Ferdinando I. Comes Palatinus est renunciatus, et ab eodem anno 1557. cum omni posteritate in ordinem Nobilium est evehctus, propter illustria eius in rem literariam merita. Pater eius fuit PETRVS SCHRÖTER, Consul Vinariensis, mater vero nata DIETZIA, GREGORIO PONTANO, tum Cancellario trium Electorum Saxoniae longe celeberrimo, consanguinitate arcte coniuncta. Vxor fuit VRSVLA, nata GROSHEVPTIA.

Restat adhuc succincta maiorum ex matris partibus enarratio. Princeps vero nominandus venit Avus FERDINANDVS GOTTLIEB SCHMELZIUS, Medicinae Doctor, Potentissimi Poloniarum Regis et Electoris Saxoniae Archiater, nec non in Collegio Camerae et metallico a consiliis. Avia vero CHARLOTTA SOPHIA, ex gente REINHARDIA.

Sed ne in recensendis maioribus lectori gravis sim, id potius agam, ut de vitae meae rationibus verba faciam. Commendatus initio sum a Patre Optimo curae Virorum Plurimum Reverendorum, M. HILDEBRANDI, iam Pastoris Zabeltiensis prope Grossenhaynam, M. SCHNABELII, qui Skassae prope Grossenhaynam curam animarum gerit, M. SÜSSENFLEISCHII iam Pastoris Sachsenhusiani, qui iuventutem meam primis literarum rudimentis studiose formarunt, magnaque industria studio academico praepararunt.

Cum vero Academiam Vitebergensem, aetnam studiorum meorum matrem, ante quinque annos adirem, civium literatorum numero a Rectore eo tempore Magnifico, IOANNE FRIDERICO HILLERO adscriptus sum. Dici vero plane non potest, quanta humanitate et benevolentia exceptus sim a Viro Illustri D. KRAVSIO, cuius tum contubernio in iisdem aedibus commorantis mihi persfrui contigit. Quod mihi tanto iucundius visum est, cum recordarer, Patrem meum Optimum, quondam ab eadem gente splendida KRAVSIANA, per multis beneficiis esse cumulatum affectum, adeo, ut fere sacrum quoddam hospitii ius nobis cum ea intercedere videretur. Ante vero, quam me ad iuris scientiam accingerem, scholis inter sui philosophicis Viri Celeberrimi Excellentissimique HILLERI, e quibus



bus ad acuendum ingenium me mirifice profecisse, fateor. Bonas literas vero mihi Vir Excellentissimus BODENVS, summa cum fide, tum doctrina, tradidit. Perinde quoque Viro Illustri RITERO, iam magno cum Academiae detrimento, rebus humanis erepto, auditor in praelectionibus historicis adsui. Virum etiam Excellentissimum EBERTYM mathematicam docentem, cum voluptate secutus sum. In Iurisprudentia vero Doctores inveni tam admirabiles, ut, quibus laudibus eos praedicem, ob ingenii orationisque tenuitatem non reperiam. Facile princeps mihi in mentem venit Illustris CHLADENIVS, ex cuius praelectionibus in ius publicum pariter atque canonicum, fructuosa locupletatus scientia, semper redii. Illustri vero KRAVSIO, quem iam supra memoravi, ius criminale et processum prostanti sedulo assedi, cuius etiam examinibus in ius criminale peculiaribus mihi interesse contigit, ex quibus fructus percepi amplissimos. Ex ore Illustris PAVLI h. t. Rectoris Magnifici, doctrinam pandectarum, ius publicum, et ius cambiale fructuosissime, et cum magno meorum studiorum incremento hausit. Apud Illustrum FISCHERVM, quem etiam, ob matrimonium eius cum sorore mea mihi valde honorificum, affinitatis nomine mihi observare licet, institutiones, pandectas, et processum magno cum fructu audiui. Viro Illustri WIESANDO me non minus obstrictum sentio, ob multa mihi egregie ab eo tradita, inter quae historiam iuris, ius naturae, institutiones, ius denique Germanicum gratas refero. Etiam disputatoriis eius exercitationibus valde fructuosus, non desui. Multa quoque me debere profiteor Viris Excellentissimis et Iurium Consultissimis REINHARDO, KLÜGELIO et HOMMELIO, et quidem REINHARDO, qui docte et facunde ius feudale, criminale et processum mihi exposuit, cuius etiam disputatoriis et examinatoriis scholis magno cum commodo intersui, quem denique in relatoriis me ducem habuisse maxime suspiciendum, nulla unquam ex animo meo delebit oblitio; KLÜGELIO, cui iuris cambialis explicationem non sine gratia debeo; HOMMELIO, qui pandectis et actionibus forensibus enodandis, iure ecclesiastico et examinibus priuatis mecum institutis, eximie de me meruit. Ex singulari quoque gratia Serenissimi Patris Patriae et Electoris Saxoniae,



niae, sicut mihi interesse personibus tam ordinariis, quam extraordinariis Curiae Prouincialis Vitebergensis. Frequentavi quoque praefecturae huius ciuitatis expeditionem, viresque meas in campo isto amplissimo exercitavi, copiam faciente beate defuncto HAASIO, praefecto meritisimo, nunc etiam successore eius DITERICO, Viro Doctissimo atque Amplissimo. Iam me deficit ingenium et oratio in collaudandis Viris omni iis debere, publice et aperte profiteor. Tanta praeterea in me hic versantem sunt collata propensae voluntatis et fauoris documenta, quanta solent esse maxima. Nihil itaque magis in votis habeo, quam ut Deus Immortalis haec Academiae ornamenta diu adhuc conferuet incolumia. Ut vero fructus aliquos operae doctrinis addiscendis huc usque impensae colligerem, adii Ichorum ordinem, atque subii consueta examina iis subeunda, qui summos in iure honores consequi student. Gratisima igitur mente praedico benevolentiam Illustris Ordinis, qui me non solum humanissime ad solita admisi examina, verum etiam mihi spem fecit certissimam, fore, ut honores, quos ambio, adipiscar.

Nos vero precibus doctissimi candidati deesse nolumus. In vtroque enim examine stetit tam praeclare, ut nobis summis in iure honoribus dignissimus visus sit. Quibus rite consequendis ut viam sibi aperiat, die futuro Iouis, praeside Viro Excellentissimo atque Consultissimo, Io. Carol. Gebhard. Reinhardo, D. Iur. feud. Profess. publ. facult. iurid. atque iudic. prouinc. in Lusat. infer. Assessor. ord. collega amicissimo, dissertationem inauguralem de dote ex feudo praestanda, publice defendet. Ut igitur Magnificus academiae Rector, grauissimi proceres academiae, omnes diuinae humanaeque sapientiae doctores, ciuesque omnium ordinum ac doctrinarum humanissimi, hunc actum sollempnem honorifica praesentia celebrare velint, maiorem in modum oro et obsecro. Ego vero hanc benevolentiam grato semper animo colam. Datum d. III. Iun. A. S. R c I o b e c c l x x v.

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAR. CHR. DÜRRII ACADEM. A TYPIS.

Wittenberg, Diss., 1774-76




3

f

Sb.







Farbkarte #13

B.I.G.

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITENBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEORGIVS STEPHANVS
WIESAND D.
PROFESSOR INSTITVTIONVM ORDINARIVS
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE
COLLEGII IVRECONSVLTORVM
ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
SALVTEM PLVRIMAM DICIT

2150
1795 5
7

*Inest
de regula iuris:
Concursum creditorum obaerati debitoris vice fungi &
in eius usura & obligationes transire*

